Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

nalem istam vitam non attribuit quemadmodum tamen vita earum tuti-
or esset ante providit: omnibus omnes naturaliter suis ex se pellibus texit quo
facilius possent vim pruinarum ac frigorum sustinere: Singulis
autem generibus ad propulsandos impetus externos sua propria muni-
menta constituit: ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus: aut
que sunt imbecilliora subtrahant se periculis pernicitate fugiendi: aut que
simul et viribus et celeritate indigent astu se protegant: aut latibulis
sepiant: Itaque alia eorum vel plumis levibus in sublime suspensa sunt.
vel suffulta ungulis: vel instructa cornibus. Quibusdam more ar-
ma sunt dentes. aut in pedibus adunci ungues. nullique munimentum
ad tutelam sui deest: Si qua vero in predam maioribus cedunt. ne tamen
stirps eorum funditus interiret. aut in ea sunt relegata regione.
ubi maiora esse non possint. aut acceperunt uberem generandi facul-
tatem: ut et bestiis que sanguine aluntur victus suppeteret ex illis.
et illatam tamen cladem ad conservationem generis multitudo ipsa su-
peraret: Hominem autem ratione concessa et virtute sentiendi atque
eloquendi data: eorum que ceteris animantibus attributa sunt: fecit
expertem: quia sapientia reddere poterat. que illi nature conditio denegasset:
Statuit nudum et inermem. quia et ingenio poterat armari et rati-
one vestiri. Ea vero ipsa que mutis data et hominibus denegata sunt.
quam mirabiliter in homine ad pulcritudinem faciant. exprimi non potest.
Nam si homini ferinos dentes. aut cornua aut ungues. aut ungu-
las. aut varii coloris pilos addidisset. quis non sentiat quam turpe animal
esset futurum: sicut et muta si nuda et inermia fingerentur. Quibus
si detrahas vel naturalem sui corporis vestem. vel ea quibus ex se arman-
tur. nec speciosa poterunt esse nec tuta ut mirabiliter si utilitatem cogites:
instructa si speciem ornata videantur: Adeo miro modo consentit utili-
tas cum decore: Hominem vero quoniam eternum animal atque immortale finge-
bat. non forinsecus. ut cetera. sed interius armavit. Hec munimentum
eius in corpore sed in animo posuit: quoniam supervacuum fuit: cum illi: quod erat
maximum tribuisset: corporalibus eum tegere munimentis. cum presertim
pulcritudinem humani corporis impediret:-

Unde ego plerorum: qui epicurum sequuntur amentiam soleo mi- .III.
rari: qui nature opera reprehenderunt ut ostendant nulla provi-
dentia instructum esse ac regi mundum. Sed originem rerum
insecabilibus. ac solidis corporibus assignant: quorum fortuitis concursi-
bus universa nascantur et nata sunt: Pretereo que ad ipsum mundum